



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pavli Laymann è Societate I: Theologiae Moralis
Compendiv[m] absolutissimum et in quinq[ue] libros
partitum**

Laymann, Paul

Moguntiae

3. De Impedimento voti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40716

alterius quocum contrahit seruilem conditionem iam sponte remittat, valebit matrimonium.

4 Mancipium à Domino prohiberi non potest, quominus matrimonium contrahat: quamuis debita seruitia nihilominus exigi possint, etiam ablegando ab vxore, quia iure suo utitur; peccabit tamen dominus contra charitatem, si coniugis probabili periculo in continentiam exponat; Quare Iudicis Ecclesiastici officio interdici illi poterit, ne seruum coniugatum ita impediatur dominus, ne nunquam, aut vix unquam vxori cohabitare possit.

5 Coloni, Originarij, ascriptitij, quales in Germania etiam (qui ita dominis terræ obligati sunt, vt recedere illis non liceat, nisi remissione gratis facta, aut precio remissionis persoluto) propriè non sunt serui, sed potius liberi homines. Quare quæ in hoc capite de seruis dicta, ad eos non pertinent.

C A P. III.

De impedimento Voti.

2 **V**otum solemnis professionis in religione approbata, nõ tamen soluit matrimoniũ ratum, sed etiam dirimit contrahendum. Ratio quia placuit Ecclesiæ eos, qui vitæ perfectioris statu suscepto, stabili se obligatione D E O & Ecclesiæ cõsecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonij religiosæ eiusmodi obligationi valdè repugnãtem.

Vota

Vota simplicia in foci: Iesu, matrimonium²
 contrahendum dirimunt, sed antea contractum
 & ratum non dissolunt.

Votum solemne, quod sacro ordini annexum³
 est, matrimonium ratum non soluit, dirimit ta-
 men ac impedit contrahendum. Ratio verò, cur
 Ecclesia velit per professionem religionis matri-
 monium ratum dirimi, non item per susceptio-
 nem ordinis, quia per professionem censetur fieri
 perfectissima traditio sui ipsius & reciproca ob-
 ligatio quædam cum religione, ideoque mors quæ-
 dam spiritualis, ac veluti alterum spirituale matri-
 monium, cui meritò prius, secundum carnem ini-
 tium cedere debeat, cuiusmodi perfecta traditio
 in susceptione S. Ordinis non reperitur.

NB. Quod ex communicati ipso facto incur-
 rant religiosi utriusque sexus, & clerici in sacris,
 qui matrimonium contrahere præsumunt, & qui-
 cunque cum monialibus contrahere non verentur.

Clericus in sacris de facto matrimonium con-
 trahere præsumens, est suspensus ab ordine, quã-
 tis Episcopus post potentiam possit cum ipso dis-
 pensare, si bigamus factus non est.

Votum simplex continentie in seculo est im-
 pedimentum impediens tantum, non dirimens.
 Ratio, quia per tale votum homo in facie Ecclesie
 non censetur mutare statum, cum nullam promissio-
 nem acceptante Ecclesia edat. Vnicus tamen
 casus excipitur, si vxor edito continentie voto li-
 centiam marito dederat S. Ordinis suscipiendi,
 L. III 4 eode-

eo defuncto, ne validè quidem ad secundas nuptias transire potest.

- 6 Qui cum voto simplicis continentie, matrimonium contraxit ante impetratam dispensationem conjugij debitum petere prohibetur: Non ita verò, qui post votum Religionem ingrediendi ac profitendi matrimonium contraxit, ac consummavit. Talis enim neque petere neque reddere prohibetur, cum nondum habeat votum castitatis, sed votum de vouenda castitate solemniter, à cuius voti expletione impeditus est, donec matrimonium solvatur.

C A P. I V.

De impedimento consanguinitatis.

- 1 **C**ONSanguinitas est vinculum personarum, quæ ab eodem, eoque propinquo stipite seu progenitore per carnalem generationem descendunt. Explicatur. Omnes gentes agnoscunt vinculum aliquod ac veluti naturalem animorū iunctam cum similitudine corporum inter eas personas intercedere, quæ ab eodem stipite seu progenitore eoque propinquo oriuntur: Vnde & propinquitas sanguinis dicta est. Qui verò à communi stipite remoto descendunt, consanguinei vocari non solent, alioquin omnes homines consanguinei erunt, quippe ab eodem parente Noë & Adamo descendentes. Ratio huius rei est, quia virtus generativa propensa quidem est ad generandum simile sui, verum quo magis à communi stipite